



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R.P. Leonardi Lessii E Societate Iesv Theologi. In D.
Thomam De Beatitudine. De Actibus Hvmanis. De
Incarnatione Verbi. De Sacramentis Et Censuris.
Prælectiones Theologicæ Posthvmæ**

Lessius, Leonardus

Lovanii, 1645

Dvb. 1. Vtrum id quod ex concupiscentia facimus, sit censendum
inuoluntarium; sicut id quod ex metu facimus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72898](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72898)

Ipla externa operatio, scilicet eictio. Inter hos, primus non est inuoluntarius; timere enim malum impendens, est secundum inclinationem voluntatis, sicut desiderare bonum. Neque etiam secundus, quia voluntas eiciens merces, ad vitandum maius malum non displicet voluntati, sed est illi consentanea. Neque Tertius, quia displicentia illa non displicet: non enim voluntas habet aliquem actum, quo nollet se habere illam displicentiam, siue, quo nollet sibi displicere illam eiectionem. Solus quartus actus est inuoluntarius, scilicet, externa eictio; quia hic solus displicet: non tamen absolute displicet; quia placet cum circumstantiis quibus fit: sed seorsim sine talibus circumstantiis consideratus, displicet. Vnde dicitur inuoluntarius secundum quid; id est, vt nudè & secundum se consideratur.

38
Id quod me
tu fit, non
conferetur in-
uoluntari-
um, nisi
coniunctam
habeat dis-
plicentiam.

Hinc sequitur Primò, Non omne quod metu fit, esse inuoluntarium; sed requiri vt simul in voluntate sit quaedam displicentia, qua, id quod fit, secundum se consideratum displiceat. Si enim hoc modo non displiceat, non est vllò modo inuoluntarium. Neque sufficit qualiscumque displicentia; nam primi motus non sufficiunt vt dicamur aliquid inuoluntariè facere: sed requiritur vt sit deliberata nolitio, qua quis nollet hoc facere, nisi esset necessarium ad aliud malum vitandum. Vnde, qui metu inferni poenitentia ducitur, & seruat diuina mandata, non cenfetur id inuoluntariè facere; sicut qui metu naufragij proijcit merces; nisi coniuncta sit talis nolitio, qua nollet poenitere, & mandata seruare, nisi id esset necessarium ad vitandum infernum: Sicut ille qui proijcit merces, habet nolitioem qua nollet proijcere, nisi id esset necessarium ad vitandum naufragium. Ab hac nolitioe, quando timori coniungitur, timor dicitur seruilis, vt suo loco dicitur.

Secundò sequitur, contractum metu initum non esse irritum defectu voluntarij, vt multi doctent; quia est absolute voluntarius: absoluta autem voluntas sufficit ad efficiendum validum contractum, modò debita materia interueniat.

Contractus
metu factus
non est ir-
ritus dese-
ctu volun-
tarij.

Itaque secluso iure positio, verius existimo, matrimonium metu graui contractum, esse validum, modò interueniat vltro citroq; idonea materia, in qua contractus verferetur, nempe personarum habitas. Idem dico de emptioe, venditioe, permutatione, locatioe, & similibus contractibus. Possunt tamen huiusmodi contractus sic initi, excepto matrimonio, facile irritari, voluntate eius, qui iniuriam passus est: nam potest petere restitutionem in integrum, & agere de damno illato. Excipio matrimonium, quia semel initum, natura sua est insolubile: vnde iure positio ab initio debuit irritum decerni. Fateor tamen contrariam sententiam probabilem esse; scilicet, contractus omnes per iniuriam extortos, iure naturæ esse irritos. Sed de hoc latius Tractatu de Matrimonio.

Dices, Si id quod metu fit, est absolute voluntarium: ergo metus numquam excusat à culpa, si quis ratione metus contra legem agat.

39
An metus
excuset à
culpa.

Respondeo, Numquam ratione metus licere transgredi legem, vel agere contra legem formaliter consideratam; nam hoc est facere contra legis obligationem: sed sepe fit, vt obligatio legis, ratio-

ne periculi quod metuitur, cesset: & tunc licet omittere id, quod lex præcipit, & agere contra legem materialiter consideratam. Quod non solum in legibus humanis locum habet, quarum omnium obligatio cessat in graui periculo vitæ, aut fortunarum (nisi interdum magnitudo rei præceptæ aliud postulet) sed etiam in legibus diuinis affirmantibus; quia etiam hæ non obligant cum periculo vitæ. Sic præceptum Confessionis, Communionis, etiam & Baptismi, non obligat cum periculo vitæ. Idem vsu venit in quibusdam præceptis legis naturalis, vt correptionis proximi, & eleemosynæ in necessitate. De quibus suo loco.

ARTICVLVS. VII.

Vtrum concupiscentia causet inuoluntarium?

Conclusio est, Concupiscentiam non causare, sed potius facere aliquid voluntarium. Duo hic insinuantur dubia.

D V B I V M I.

Vtrum id quod ex Concupiscentia facimus, sit censendum inuoluntarium, sicut id quod ex metu facimus?

Nota Primò, Concupiscentiam hic vocari passionem, qua afficimur ad aliquod bonum, præsertim delectabile.

Nota Secundò, Hanc Concupiscentiam esse duplicem; scilicet, Antecedentem & Consequentem, vt docet D. Th. q. 77. a. 6. Cum enim sit duplex appetitus, sensitiuus, & rationalis; ijque in eadē simplici essentia animæ iungantur; fit vt se mutuo moueant, etsi dispari modo. Appetitus enim rationalis, seu voluntas, mouet appetitum sensitiuum efficaciter per modum imperantis: appetitus autem sensitiuus non ita potest mouere voluntatem; sed mouet per modum suadentis, faciendo vt obiectum videatur intellectui expetendum. Quòd si intellectus non attentè consideret, facile seducitur, iudicans ita esse sicuti proponitur, & sic voluntas ad illud mouetur. Quando igitur voluntas mouet appetitum inferiorem ad concupiscendum, est Concupiscentia Consequens: quando verò appetitus inferior mouet voluntatem, est Antecedens: vt cum quis ex tentatione trahitur ad consensum, De consequenti nulla est dubitatio; quia cum ipsa sequatur voluntatem, effectus quoque eius pendet à voluntate, tamquam à causa sua primaria; vnde est omnino voluntarius: non tamen concupiscentia cenfetur esse causa huius voluntarij: quia concupiscentia non induxit voluntatem, sed voluntas concupiscentiam. Vnde hæc concupiscentia propriè non facit voluntarium, sed est signum intensæ voluntatis. Confert tamen, vt homo in eadem voluntate facilius perseueret, saepeque contingit vt concupiscentia à voluntate excitata, ipsam vicissim magis excitet & augeat. Sed hac ex parte non tam est Consequens, quam Antecedens.

De Antecedente igitur est tota quaestio.

Responden

Concupis-
centia Con-
sequens &
Antecedens

41 Respondendum est, Id quod per Concupiscentiam Antecedentem fit, non est villo modo inuoluntarium. Ita D. Thomas hoc loco; & colligitur ex Aristot. 3. Ethic. c. 1. vbi ait, *Ex qua ex ira vel cupiditate fiunt, non dicitur ab iniuriis fieri.* Et ratio est; quia quando aliquid ex concupiscentia fit, non fit repugnante voluntate, sicut quando ex metu mortis projiciuntur merces.

Contra obiicitur Primò, Metus ideò causat inuoluntarium, quia trahit voluntatem ad id volendum, quod ei secundum se consideratum displicet: atqui hoc etiam efficit concupiscentia: trahit enim voluntatem ad id, quod illi extra concupiscentiam consideratum displicet; scilicet ad turpia; vt patet ad Rom. 7. v. 15. *Non quod volo, hoc ago, sed quod odi, illud facio.* & infra: v. 23. *Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meae:* ergo etiam concupiscentia facit inuoluntarium.

Discrimen inter metum & concupiscentiam respectu effectus

Respondeo, esse disparem rationem. Metus enim facit inuoluntarium; quia id quod proximè ex metu eligitur, est inuoluntarium. etiam postquam voluntas in illud consentit. Nam manet tanta displicentia, vt etiam cum mœrore exequatur, ac proinde inuoluntariè; vt patet in eo, qui metu naufragij projicit merces. Id autem quod proximè ex concupiscentia eligitur, etsi initio aliquantulum displiceat voluntati; tamen postquam consentit, non exequitur illud cum displicentia saltem notabili, quæ tristitiam pariat; vt patet in eo, qui tentatione victus, fornicatur; vel hostem vlciscitur: Oblectatio enim quæ est in illo actu, tollit displicentiam, quæ antè erat in voluntate. Quod verò secundariò eligitur ex concupiscentia, scilicet tamquam medium, interdum videtur habere aliquid inuoluntarij; vt sunt labor & sumptus qui fiunt, vt opus illicitum, in quo delectatio, perpetretur: tamen non censetur etiam inuoluntariè fieri, sicut id quod metu fit: tum quia imaginatio obiecti delectabilis tollit illam displicentiam, ita vt absque mœrore, & etiam cum gaudio pericula subeat, sumptusque faciat: tum etiam, quia qui metu aliquid agit, ei incumbit necessitas, & quidem ab extrinseco, quod non est in ipsius potestate. Qui autem ira vel cupiditate, nulla necessitate impellitur; non enim est ei necessaria illa voluptas; neque ab extrinseco vrgetur, sed à causa intrinseca quæ est in ipsius potestate; & ita totum est voluntarium, & nihil est inuoluntarium.

42 Quatuor actus cum ex concupiscentia aliquid fit.

Vt hæc melius intelligantur, Notandum est, cum quis aliquid ex concupiscentia facit, interuenire quatuor actus.

Primus est, Passio concupiscentiæ. Hæc sæpè est inuoluntaria; quia repugnante voluntate excitatur. Tamen, cum sit in potestate voluntatis eam compescere, si id omiserit, censetur ipsa voluntaria, & omnè id quod ex ipsa mali sequitur. Secundus actus est, consensus voluntatis in opus, in quod fertur concupiscentia. Hoc consensu posito, concupiscentia non est amplius inuoluntaria, neque ipsum opus, quia neutrum amplius voluntati displicet. Tertius actus est, consensus in aliquid quod est medium necessarium ad obtinendum illud, in quo est delectatio. Quartus est, Executio mediij & ipsius operis. Hi duo actus etiam non sunt inuoluntarij: nam etsi hoc medium per se displiceat; tamen, quia nulla necessitas vrget illud amplecti, censetur homo prorsus volun-

tariè illud amplecti; & multò magis ipsum opus, ob quod suscipit illud medium. Confirmatur; Quia nemo dixerit eos, qui opes, vel voluptates per magnos labores & pericula sectantur, inuoluntariè illa suscipere; eò quòd nulla necessitas eos ad hoc cogat, sed totum ab eorum libertate primitus oriatur. Secus est de eo, qui metu naufragij projicit merces; quia non est in ipsius potestate aliter mortem euadere.

Hinc sequitur, eum qui metu furatur, vel alio genere peccati peccat, minùs peccare, quam qui incensus cupiditate id facit.

Obiicitur Secundò, Ipse metus oritur ex concupiscentia; vt docet D. Thomas infra q. 43. a. 5. & D. Augustinus lib. 83. questionum, q. 33. Nam ex amore vitæ nascitur inuoluntaria proectio mercium: ergo cum metus faciat inuoluntarium, etiam concupiscentia faciet, quæ est causa metus.

Respondeo; Hinc tantum sequi concupiscentiam mediante metu efficere inuoluntarium: nos autem loquimur de concupiscentia per se, & sine metu: hæc enim non facit inuoluntarium.

D V B I V M II.

Vtrum concupiscentia augeat voluntarium?

43 Respondeo cum distinctione. Voluntarium enim variè accipitur. Si igitur accipiat pro eo quod fit à voluntate secundum proprium modum voluntatis, vt idem sit quod liberum, vt supra diximus, sic concupiscentia non augeat voluntarium, sed minuit. Ratio est; Tum quia inclinat voluntatem in vnâ partem; tum quia impedit considerationem intellectus, vt non possit rem suis momentis examinare. Hoc modo videtur accipere D. Thomas voluntarium presentij articulo. Nam ad 3. dicit in amentibus non esse voluntarium; nempe quia in illis non est libertas, quamuis in illis sint actus voluntatis & spontanei. Item dicit, voluntariū esse, quod est in potestate voluntatis: atqui hoc est liberum. Simili modo accipit voluntarium infra, q. 77. a. 6. cum ait, Passionem minuere voluntarium, & alibi.

Voluntarium potest tripliciter accipi.

Si verò accipiat pro eo quod est spontaneū voluntati, sic etiam passio non augeat voluntariū; quia non augeat spontaneū voluntati. Ratio est; quia eò magis voluntati aliquid est spontaneum, quò magis ipsa ex se illud vult, non autem aliunde. Hinc fit vt magis sponte peccet, qui à nemine persuasus, aut incitatus peccat, quam qui alterius persuasionem vel hortatu. Atqui passio est extrinseca voluntati, habens se per modum importuni suauoris: ergo, cum moueatur à passione, minùs sponte sua censetur velle, quam quando sine passione. Vide D. Thomam infra q. 77. a. 6. vbi hanc rationem insinuat.

Nec obstat quòd D. Thomas, hoc loco in corpore, dicat: *Concupiscentia non causat inuoluntarium, sed magis facit aliquid voluntarium;* Non enim sensus est, concupiscentiam facere opus magis voluntarium, quam esset sine concupiscentia: sed sensus est, concupiscentiam facere potius, vt opus sit voluntarium, quam inuoluntarium; vt rectè notauit Conradus exponens hæc verba D. Thomæ. Cum hoc tamen stat, vt minuatur illam formalitatem & conditionem, quæ est esse ex principio

capio